

Ad Illustrissimum Virum
B A S I L I U M
VICE-COMITEM
FILDING. &c.

Faciam illustrissime Domine, quod pauperes debitores solent, qui de amicorum aere persolvunt, quod non possunt de suo. Nactus sum haud ita pridem epistolam de superioris anni Comitis Ratisbonensis bus a Nobili docto que Viro perscriptam. Ea propter & luculentam rerum gravissimarum expositionem, & prudentem ad eas accommodationem verborum Taciti (cujus loca, mihi quidem obvia, non enim omnia, paginarum oris adnotare non sum veritus) omnino digna est visa, quam humiliter offerente me, legeres: imo quam Illustrissimi Tui frontispicio uominis honestares. Nec sane scripti seu judicem, seu patronum, legere potuissim, Te convenientiorem: utpote qui rerum illarum auditor spectatorque cum serenissimi Regis tui Legato praesens interfueristi: Tacitum vero scriptorem prorsus igneum, nec nisi tales animas admittentem, ita familiarem tibi fecisti, ut in ruborem quandoque me dederis (ingenue fateor) cum nuper in urbe nostra constituto hyberno peregrinationis hospitio, una cum edecumata virtutis excellentisque doctrina Viro, Roberto Masonio, illius autoris legendisocium adsciscere dignatus essem. Dicitur enim vocaveras, doctiorem plerumque dimisisti, ut jam tum inciperem gratulari Patriæ Tuæ felicitatem istam, quod Te, post cursum suscepit peregrinationis (faxit Deus ut feliciter!) exactum, talem esset receptura, quales scriptor ille magnus, Reique publicæ clavem tractantibus proprius formare solet: & qualem non dico spondes, sed jam praestas: sicut in hac etate juvenili virilia tua facinora, summo Viro, Tacito illi Belgico in argumentum historie venerint, fruariisque jam nunc fama tui: & sentias vivus eam, quæ post fata demum aliis solet praestari, venerationem: & quid apud posteros futurus sis, coram ipse cernas. Quanquam consilium non est ingredi patentissimum laudum tuarum campum: quibus injuriam profecto fecero, si unius pagellæ angustiis inclusas in arctum cogere, quasique strangulare coner. Erit ut spero, cum justis virtutum tuarum praæconiis, quando non datur alia ratione, me plurium nexu nominum, quibus Tibi teneor obstrictus, exsolvam. Intsrim pro cetera Tuæ clementia facies uti confido rognque, quod benigni creditores solent, ut hac de alieno saluti debili quasi particula sustentari Te patiaris, usque dum, adiuentibus Mustis, insigniore aliquo priorum studiorum proventu representato, sortem ipsam cum usurvis dependere concedatur. Deus Te, Vir, Illustrissime Regis Regnique bono servet incolumem, omniisque maximorum benedictionum suarum genere, quam largissime cumulatum praestet. Perscr. Aug. Treb. ad 28. Maii, Anno C. H R I S T I M D CXXXI.

Theodos. Berenicus Noricus.
CON-